Rideas, amice carissime, sed verum est: heri Foramen ad me venit, ut suam erga Neandrum benevolentiam ostenderet. sane ab illo se quondam irrisum esse mihi narravit carmine quodam ludicro quod „Hässliche Bemerkungen" inscriptum esset et id quidem in diariis, quae homines malitiosi „Rasselschnock" appellaverint, sed ignoscere se Neandro. nonne hoc est summae animi liberalitatis? amicus noster optimus acerrime exspectat illum diem, quo adversarios eunoicta omnes decollabit; blaterat incredibilem in modum. Ludovicus Loquax ab Huebnero vestro nisi fallor aditus. nuper is cum Severo scribendo impetum fecerunt in Foramen quod fortiter restitit. ac ne Collegam quidem ad suas partes trahent. – Koppius mihi narravit Te cum familia Tua valere, quare magnopere gavisus sum. O Hanseatas praeter modum ebrietati deditos! vellem, illi societati interfuissem, sed Scheffero telegrammate nuntiaverim me Rodenam venturum si vellet, heri sexsum mihi respondit se nescio quo iter fecisse. die XXV h. m. in collem Vilelmi conveniemus. vale!